

postea dicendum erit : hoc ipso vero nondum sopitam esse omnem controversiam vel inde patet , quod Treunerus secundae editioni Primitiarum Augustae a. 1715. curatae subiecit Vindicias , historiam aliquam hujus controversiae etiam continentes , ad quas in Relat. Innoc. a. 1717. p. 659. sqq. respondetur.

§. XIV.

Applicatio ad
Controv. Treu-
ner.

Quod vero attinet ad ipsam hanc controversiam B. TREUNERVS et S. R. LOESCHERVS , uti post mutuas declarationes sententiarum suarum parum dissidii in quaestione praecipua reliquum fecerunt , ita uterque Vir Celeberrimus quam proxime leges divinas circa Evangelium attigit , ut harum discrimine ab ipso Evangelio omnis controversia componi posse videatur. Ostendam id primum per praecipua momenta et argumenta sententiae Treunerianae. Statuit nimirum , Evangelium (*haud tamen solum*) agnitionem et displicentiam peccatorum cum dolore conjunctam , abstrahendo a minis legis , operari p. 48. Primitiar. delicta esse foedam ingratitude in Christum *ex lege Evangelii jubare collustrata* doceri cupit p. 18. 28. 39. argumenti , quo poenitentia animis inspiratur , propositionem majorem , ex lege depromendam fatetur. Ita autem argumentum format : *Ingratitudo adversus redemptorem est peccatum foedissimum , maximeque dolendum. Ast peccata mea in Christum commissa sunt injuria in redemptorem. E.* Ego paulo inferius aliquantum mutabo argumentum , ut Lex et Evangelium distinctiora compareant. In his vero declarationibus sententiae nihil ego video praeter leges circa Evangelium , quae agnitionem peccatorum efficiunt. Idem sentio de argumentis. David 2. Sam. XII. ad poenitentiam a Nathane permovebatur commemoratione beneficiorum divinorum h. e. lege gratitudinis , non tamen hac sola , sed etiam legibus de homicidio et adulterio. Petrus , cum tertia vice Dominum abnegasset ,
a Do-